

sive proprietate (de qua mox dicemus,) Spiritum appellari credimus.

4. Cujus characteris personalis respectu, Spiritus Sanctus definitur tertia Trinitatis persona, Patri Filioq³ DEVS ὁμοῦσι & ἑνὶ ὑποστάσει, ac commune utriusq³ spiraculum, non προφορικόν, non evanescens, non solubile: Sed ἰδιοσύστατον καὶ ἀυθυπόστατον, modo prorsus ineffabili, ab utroque in æternitate procedens.

5. Esse autem Spiritum Sanctum, non ventum sive halitum aliquem, aut creatam agitationem: Sed Personam ἀυθυπόστατον, in ipsa Deitatis ἑστίᾳ subsistentem; vel ex eo constat, quòd sacrarum literarum oracula, ei passim tribuunt, quæ sunt Personæ propria.

6. Cujus generis sunt, Intelligentia, Omniscientia, Sap, 7. 22. 1. Cor. 2, 10. Voluntaria donorum distributio 1. Corinth. 12, 11. Munus docendi & suggerendi omnem veritatem, Ioh. 14, 26, & c. 26, 13, & alia id genus plurima, quæ non nisi Personæ propriè competere possunt.

7. Confirmat idem patefactio ejus in Baptismo Christi Matth. 3, 16. suffragatur formula Baptismi nostri Matth. 28, 19. comprobatur ejusdem rursus apparitio in festo Pentecostes primæ Novi Testamenti, ubi Spiritus Sanctus, ut Persona à cæteris realiter sive verè distincta visibiliter in specie linguarum ignearum conspectus fuit. Act. 2, 3.